



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XXXV. D. Gero. XIV. Arch.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

XXXIII. BRUNO I. XII. ARCH.

Bruno Henrici Aucupis filius, Ottonis M. frater, Pedit & gladio gloriosus, mirè profuit Ecclesiæ & Imperio; Imperatoris enim nunc in Italiam, nunc in Hungariam cum exercitu profecti in se suscepit munus & implevit strenuè, præsertim cum rebelles Lotharingios compescuit. Agnovit fratris beneficium Imperator gratissimus: ditiones enim Coloniensis Ecclesiæ bonis & privilegiis multùm adauxit; quibus etiam majus incrementum Bruno adjecit, dum in Burgundiam abiit, sed & inde Rhemos divertit, ibidem calida febre extinctus, postquam Coloniensem Ecclesiam omnium bonorum hæredem scripsit an. 965. Sedit an. 12. Conditor is fuit templi Panthaleonis, in quo sunt reconditæ Brunonis exuviæ, quas Rhemis Coloniæ translatas multis lacrymis profecti sunt inter indigenas Normanni advenæ à Brunone magno numero baptizati. *Vid. Albertum Kranzium de Saxonia.*

XXXIV. VOLMARVS. XIII. ARCH.

Volmarus de Ecclesia Coloniensi optimè meritus, serò tamen in supremam ejus Sedem ascendit, quòd obstarent Brunonis Antecessoris non minùs insignia merita, summa ad hæc natalium nobilitas, & inter Viros etiam Principes authoritas. His moti argumentis Lotharingi, Brunoni subdiderunt & colla & capita; at non ita Volmaro, quam inter brevissimæ vitæ causas numerârunt illi, qui post annos Sedis 4. Volmarum sepeliêrunt an. 969.

XXXV. D. GERO. XIV. ARCH.

D. Gero ex Lusatia Marchio à Coloniensibus electus Antistes, tantùm primò displicuit Ottoni II. Cæsari, ut hic eidem deneganda duxerit insignia Viris Principibus

bus in Imperio concedi solita. Verùm Geronis partes æquissimas in se suscepisse visus est Genius tutelaris, cùm Cæsarem dormientem sui muneris commonefecit, ut læso Geroni satisfacere. In extasin non rarò abripi, & exanimi similem decumbere, cùm sciret perbene Warinus Coloniæ inter Diaconos Supremus, id commodum suum ratus, vivum ocyùs sepulchro intulisse scribitur Geronem, cùm annis 7. sedisset an. 976. maturè nimis sepultus. Cæterùm ante alios D. Geronem colunt claustra Gladbachensia, quorum author extitit.

XXXVI. WARINVS, XV. ARCH.

Warinus votis suis parùm religiosus damnatus; atque in Solium Coloniensè plurium electorum Canonico-rum calculis promotus, optata tamen pace nequaquam frui potuit; conscientia enim stimulis potenter adeò fuit agitatus, ut Romam usque profectus, scelus suum palàm fecerit Benedicto VII. Romano Pontifici, à quo pœnitentiæ causâ iussus est D. Martini monasterium Coloniæ vel instaurare, vel funditus condere; teste igitur eodem monasterio animi labes ædificiis sacris eluit, & 8. annorum compendio desideratam adeò Sedem Coloniæ possedit an. 984. mortuus.

XXXVII. EVERGERVS, XVI ARCH.

Evergerus ob singularem modestiam, animi moderatio-nem & solitudinis amorem laudatus multùm, Archipræ-sulum illorum fuit omnium ultimus, qui Electores non fuerunt in Imperio: periodum proinde hanc claudat, qui vitam clausit an. 997.

SE

X